

THESES PERIPATETICÆ

EX TOTO PHI-  
LOSOPHIÆ  
CURSV SELE-  
CTÆ

*ET*  
IN CATHOLICA (E-  
LIBERRIMA QVE ACADE-  
mia Ingolstadiensi)

A  
Duobus è SOCIETATE IESV in publi-  
cam disputationem positz. Calend. Iul.  
Anno Christi M. D. C. XIV.

*Andrea Manzoni*

*Eugene Hell*



INGOLSTADII,

Ex Typographeo Ederiano, apud Elisa-  
betham Angermariam.

# JESV CHRISTO, MAGNÆQVE Matri V.

*Ex Logica.*

## THESIS I.



Ogica docens, quæ est habitus simpliciter prædictus, & ad alias scientias ad-  
discendas moraliter necessarius, definitur: Ars instrumentalis docens facere  
rectam dissertationem. Utens Logica, est quiuis habitus realis à Logica do-  
cente distinctus, in quantum regulis logicis vtitur. Strictius verò est quiuis  
habitus de quaunque re, probabiliter differens.

2. Materiale significatum vniuersalis sunt plures res singulares possibles,  
pro ut inter se formaliter sunt similes. Formale verò, seu forma à quares per extrinsecam de-  
nominationem dicuntur vniuersales, est vna conceptus abstracti, non quatenus inhæret  
intellectui, sed quatenus vniiformiter repræsentat naturam sine differentiis individuantibus,  
& per illum potest natura ab intellectu in pluribus vna cognosci, aut de pluribus prædicari.  
Vniuersale ita acceperum, est quoddam genus ad suas quinque species: Genus scilicet, Specie-  
m, Differentiam, Proprium, Accidens.

3. Genus de speciebus prædicatur vt totum, non vt pars. Species subalterna, quā talis non  
est vniuersalis, sola verò species infima constituit secundum prædicabile. Differentia inferi-  
or formaliter non includit superiores. Solum Proprium quarto modo est quartum prædicabile  
respectu specierum si genericum, respectu individuorum si specificum sit. Accidens prout  
opponitur scientiæ (excluso tamen Proprio) constituit adæquatè quintum prædicabile. In-  
dividuum prout à parte rei existit definiri vniuocè non potest, potest autem prout subest se-  
cundæ intentioni prædicabilitatis de uno.

4. Ens prædicamentale, seu quod in aliquo ex decem prædicamentis directè ponitur, debet  
esse reale, per se, completem, incomplexum ac finitum. In prædicamento substantia omnis  
substantia ponitur concreto nomine significata, præter Deum. In reliquis verò non sola  
accidentia (à substantia saltem modaliter, inter se verò ad minimum ratione distincta) tam  
in concreto, quā in abstracto collocantur. Quantitas discreta, seu numerus rerum materia-  
lium, etiā in summo rigore excludi debeat à prædicamento, secundum tamē communem lo-  
quendi modum vt species Quantitatis admitti potest.

5. Relatio à fundamento differt modaliter, eius solum officium est respicere terminū rea-  
lem, actu existentem, & absolutū, tam in relatiobus mutuis, quām non mutuis. Prædicamen-  
tum Actionis & Passionis tantum sub se continet actionem & passionem accidentalem. Vbi  
est modus absolutus à quo adæquatè sumptu Situs sola ratione distinguitur: Quandò est du-  
ratio intrinseca accidentis, secundum Aristotelem verò formaliter est denominatio extrin-  
seca à tempore cælesti. Habitus est modus aliquis corporis ex eo quod restitutum, vel ornatum est.

6. Conceptus (secundum Aristotelem non tam signa quām formales imagines ac simula-  
cra rerum) sunt idem apud omnes circa idem obiectum. Voces autem tam illos quām obie-  
ctum immediatè significant. Verbū essentialiter cōsignificat tempus, & prout copulat prædi-  
cata cum subiecto est vera ac essentialis & formalis pars orationis. Verbū infinitum po-  
test manere in enunciatione affirmatum. Enunciatio, cuius passiones sunt significare verum  
vel falso, est verum genus ad affirmationem & negationem, analogum verò respectu enun-  
ciatio-

cationis simplicis & coniunctæ. Quæcumque propositio singularis de futuro contingentis  
est determinatè vera vel falsa.

7. Verbum prout est nota compositionis, non est terminus propositionis. Conuersio sit  
tantum inter extrema, copula temperac immobiliter se habente ex parte prædicati. Tantum  
duo sunt principia regulativa syllogismorū: Dictum de omni, & dictum de nullo. Syllogismus  
simpliciter includit conclusionem tanquam partem essentialem. Inductio non est conse-  
quentia formalis, ad syllogismum tamen reduci potest.

8. Præcognita sunt tria Subiectum, Passio, Principia. De subiecto, in hac saltem vita, actua-  
lis existentia, seu Quid est, Quid rei verò non in omni demonstratione, etiam Propter quid,  
prænoscendum est. De Passione Quid nominis; de Principiis, quod vera sint præcognosci o-  
porter. Præcognitiones non necessariò totam demonstrationem præcedunt. Major prius  
tempore cognoscitur conclusione; Maiore verò & Minore cognita statim simul fertur con-  
clusio. Assensus conclusionis necessariò pendet à præmissis, à quibus effectuè productus est,  
in quas simul idem ferri potest, indirecè tamen. Demonstratio est genus vniuocum ad de-  
monstrationem Propter quid, & Quia. Definitio formaliter sumpta non potest demonstrari,  
potest autem materialiter sumpta.

9. Habitus Principiorum non sunt nobis ingeniti; an dentur circa principia vniuersalissi-  
ma dubium est. Assensum principiorum non iuuat inducitio singularium vt verum motiuum,  
etsi ad illum perutilis sit. Habitus scientiæ naturalis necessariò requirit evidentiā & obie-  
ctum vniuersale ac necessarium, quoad connexionem terminorum. Voitas ac distinctio sci-  
entiarum totalium desumitur aliquo modo ex diuersa abstractione à materia. De eadē de-  
nique re simul & scientia: & opinio haberi potest, per diuersa tamen media.

## Ex Physica.

10. Physica est scientia speculativa corporis naturalis quā talis. Principia generationis sub-  
stantialis sunt tria, materia, forma, priuatio. Materia est pura potentia subiectiva, secundum  
suam existentiam dependens à forma non vt à causa, sed tanquam à conditione sibi natura-  
liter debita. Ingenerabilis ac incorruptibilis, vna specie infima in omnibus corruptibilibus,  
atque eadem etiam numero in genito & corrupto. Priuatio est absentia formæ in subiecto  
spto eam habere; alia est proxima, alia remota: illa exercet rationem principij in instanti  
generationis. Formas substanciales dari, etiam in clementi, à posteriori colligimus.

11. Natura est Principium intrinsecum non tantum actuum, verù etiam passiuū, & causa  
motus & quietis, in quo primò inest per se, & non secundum accidens. Hæc ratio naturæ, &  
formæ, etiam rationali, & materia analogiè communis est. Caussarum per se genera sunt  
quatuor. Materia caussalitas in fieri est vnitio, seu generatio passiva, in facto esse vno, quæ  
vt à forma, cum qua suo modo identificatur, dependet, est eius quoq; caussalitas; Cuius vt &  
materia effectus adequatus est compositū, quod ab illis iunctim sumptis sola ratione differt.  
Potest vna forma supernaturaliter plures informare materias, & vna materia plures susten-  
tare formas totales.

12. Caussalitas Efficientis est actio, effectus adæquatus compositum, cuius productionem  
si substancialiter sit, forma substancialis efficienter ac principaliter, vel in eius absentia aliqua  
caussa superior, Accidentia verò instrumentaliter effectuè attingunt, non tamen absque con-  
cursu causæ primæ, qui est ipsa actio causæ secundæ, præ vt à Dō etiam inmediate depen-  
det, qui agens naturale ad actionem singularem determinat. Accidentium quorundam prin-  
cipium effectuum est sola forma substancialis, quorundam solum accidens, & quidem cre-  
brius. Idem numero effectus potest supernaturaliter potentia, à pluribus causis totalibus simul  
totaliter agentibus procedere, atque etiam naturaliter ab illis dependere si diuisim appli-  
centur.

13. Exemplar ad genus caussæ efficientis reuocatur, & est imago vitalis rei producenda ab  
artifice in intellectu expressa, directuè concurrens ad opus faciendum. Caussalitas finis est  
efficax voluntatis intentio. Ratio secundum quam causat est solum bonum, sive verum sive

apparens per intellectum apprehensum: quæ apprehensio solum est conditio finis qua nobis tantum agentia intellectualia agunt propter finem, bruta enim materialiter potius quam formaliter participant causam finis. In animata vero agunt propter finem quatenus subsunt directioni autoris naturæ.

14. Quantitas formaliter consistit in tali extensione partium, ut secundum illam partes proxime aptas sint diuersa loca naturaliter necessariæ occupare, atque inter se impenetrabiles esse. Componitur ex partialibus quantitatibus, mediantibus tamen individuabilibus, realibus, actualibus inter se diuersis & potentia infinitis. Subiectum inhesionis est materia prima illi coœcta & realiter ab ipsa distincta, secundum partes ac terminos partibus ac terminis quantitatis respondens. Quo etiam modo quantitas est subiectum inhesionis reliquorum accidentium materialium. Infinitum actu posse dari negamus.

15. Motus est actus entis in potentia prout est in potentia, quæ definitio conuenit omnibus quatuor speciebus motus; Generationi scilicet Augmentationi, Alterationi, & motui locali: & sic sumptus essentialiter nec successiuus nec instantaneus est: differt ab actione solitaria ratione à passione vero, (quæ materialiter eadem est cum actione) secundum rationem completam solo nomine. Speciem suam sumit à termino. Unitatem ab uno numero mobili, termino ad quem, & uno tempore. Non in omni motu datur primum & ultimum mutatum esse. Indivisibile separatum potest sine alio modo supernaturali moueri.

16. Immobilitas loci desumenda est ab Vbi. Naturaliter nec duo corpora in uno loco, nec unum in pluribus esse potest, potest autem virtute diuina etiam commensuratio in pluribus esse. Vbi corporeum est modus realis corpori intrinsecus, per se independens ab extrinseco continente habens respectum trascendentalem ad spatiū imaginarium. Angelis, substantiis, accidentibus materialibus secundum se conuenit ubi definitum, media vero quantitate duabus posterioribus conuenit Vbi circumscriprium, quod tamen Angelis conuenire non potest. Vacuum nullum datur virtute naturali, motum quemcunque in vacuo priuatiu admittimus si non necessariæ pendeat ab influxu cœli, aut per illum nouum vacuum fiat.

17. Duratio est permanentia rei in existendo ratione differens ab existentia. Aliæ est permanens, alia successiva; duratio successiva motus cœlestis quatenus est mensura, nostrum actionum dicitur tempus. Res ut tantæ incipiunt & desinunt in trinsecè, sicut & indivisibilia motus & temporis. Res successivæ absolute sumptæ incipiunt & desinunt extrinsecè. Quæcumque sunt aut corruptiunt in instanti incipiunt intrinsecè & desinunt extrinsecè. Res quoque indivisibilis, extrinsecè incipere & intrinsecè desinere naturaliter potest.

### *Ex Libris de Cœlo.*

18. Præter hunc Mundum etiæ defacto alias non sit, plures tamen numero & specie diuersos ac essentialiter perfectiores in infinitum possibles esse non negamus: imò etiam hunc ipsum quoad res permanentes ab æternō esse potuisse. Cœlum (quod est causa vniuersalis, & perfectius omnibus inanimatis & animatis, præter hominem) incorruptibile esse docet Aristoteles, secundum quem & materiam & formam à sublunaribus distinguitur, sicut & reliqui cœli inter se. Probabilius est lunam & cæteras stellas non habere lumen ionatum sed illud mutuari à sole.

19. Elementa in propriis locis nec grauitant nec levitant. Grauia ac levia proximè mouentur à sua grauitate & levitate. Projecta per impulsum impressum, qui secundum se in instanti producitur, corticulat vero successivè per solum defectum causam conservantis. Motus naturalis corporum leuium & grauium augerunt in fine, projectorum in medio. Projecta in punto reflexionis nonnunquam quietiunt negatiuè, nonnunquam priuatiuè; & ab obstatulis efficienter reflectuntur.

### *Ex Libris de Generatione.*

20. Generatio substantialis est mutatio totius nullo sensibili remanente ut subiecto codet, estque

estque vera actio essentialiter vniuersa formæ cum materia, à precedente alteratione re actione distincta, quæ secundum latitudinem intensiā spectata semper instantanea, secundum extensionem vero subiecti nec instantanea, nec essentialiter successiva est. Et quamvis in productione & corruptione in animatorum in genere substantia, resolutio semper fiat vique ad materiam primam, in viventium autem ortu & interitus formæ partiales cum materia remanent, in genere tamen accidentis, in omni generatione substantiali, eadem accidentia communia manent in genito, quæ fuerunt in corrupto.

21. Alteratio est mutatio secundum qualitatem contrariam remanente subiecto sensibili, eodem: strictè sumpta pro termino habet tantum qualitates contrarias tertiaræ species, & quamvis non essentialiter, ordinariè tamen quoad intensionem, quam quoad extensionem est continua & successiva. Est autem intenso, additio nouæ & individualiter perfectioris qualitatis ad qualitatem praæexistenter ita eadem partes subiecti; remissio contra est mutatione negativa ad priuationem perfectionis gradus.

22. Augmentatio formaliter est mutatio ad maiorem quantitatem, mediante aliquo novo indivisibili, nec augmentatione viventium essentialiter distinguuntur à non viventium, illa tamen est accidentaliter perfectior; & licet viens secundum omnes partes heterogeneas augatur, manet tamen post singulas actiones aliquo modo idem numero. Rarefactione nulla quantitas producitur, nec condensatione deperditur, sed quantitas aliter modificata modò maiorem modò minorem locum occupare apta est.

23. Agens vel ratione distinguitur à passo, nec in rem distantem potest agere sine spatio intermedio, per quod virtutem ad passum, siue eiusdem siue diuersæ rationis transfundat. Antiperistasis est intensio alicuius qualitatis ob circumstans contrarium, quæ intensio fit vel ab aliquo extrinsecè ibi detento, vel à forma substantiali per resultantiam. Agens quoque in Sphæra passi constitutum reputatur ab eodem, secundum eandem contrarietatem ac partem, nisi ipsius resistentia supererit actiuitatem passi.

24. Singulis elementis puris duas qualitates primæ per se conuenient, remissa una, altera intensa, & licet unum non posit alterum secundum se totum destruere, potest tamen ex quo libet elemēto immediate quodvis fieri: ex aymbolicis vero inter se agentibus generari potest tertium ab utroque diuersum; cœlius autem symbolica quam aymbolica in se transmutantur.

25. Mixtio est miscibilium alteratorum unius; materia ex qua, sunt quatuor elementa, quæ non actu, sed virtute tantum in mixto manent, quorum qualitates seu virtutes non sumuntur intensæ, sed per mutuam actionem miscibilium remissa, quedam ut actiæ, quedam ut passiæ adiuuant mixti generationem. Quod semel corruptum est, naturaliter redire idem numerus nequit, diuinæ vero virtute eadem numero tam permanentia, quam successiva materialiter sumpta possunt reproduci.

### *Ex Meteoris.*

26. Meteororum materia remota est terra & aqua, proxima vero halitus & vapor ex prædictis elementis elicitor; locum potissimum præstat aëris elementum, in cuius supra plerunque regione oriuntur meteora ignea, ex terrestribus exhalationibus ed delatis; in Mediâ, vapores cœlesti calore attracti resoluuntur in pluias, grandines, niues, &c. In infimâ nebula, pruina, mel, & manna ex iis generantur.

27. Ventus fit, cum exhalatio terrestris à frigiditate mediæ regionis aëris repercussa, & transuersim agitat nubes, & aërem commouet. Tertiæ motus crassioribus paulò exhalationibus constat, quæ densis terræ cœurnis inclusæ, per antiperistasis, vel ab ignibus subterraneis cœlant, & exitu prohibita, terram concutiunt, ac demum magnam cum vi erumpunt. Apparentia meteora vtris, halo, &c. ex varia luminis cœlestis in nubem vaporosam incidentis reflexione proueniunt.

28. Operationes actiuarum qualitatium sunt duplices, quædam ipsam substantiam mixta constituant vel corruptunt, ut generatio mixti & putredo, quarum illa pro actione accidentali sumpta, genere ac specie, immo re ipsa à mistione, quæ substantialis actio est differt. Putredo ab Aristot. describitur corruptio in unoquoque humido propriæ caliditatis ab aliena caliditate, per extractionem videlicet humidi intrinsecativel continuatiui, si tota misti natura destruantur.

29. Quædam actiones misto iam genito & permanenti contingunt, ut concoctio & inconcoctio, illius tres sunt species: magistratio, quæ est concoctio insiti humili à naturali calore facta. Asfatio à caliditate aliena & siccata; & elixatio, quæ latè sumpta est concoctio eius indefiniti quod in unoquoque humido inest, facta ab humido calore. His opponuntur tres inconcoctionis species, immo turitas, inquinatio, & prava assatio seu tostio.

*Ex libris de Anima.*

30. Anima est actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis organici, sive instrumentalis. Attribuuntur ipsi ab Aristot. quinque potentiarum genera, vegetativum, sensitivum, appetitivum, loco motuum, intellectivum quæ ab ipsa anima realiter distinguuntur, & ab aliis & obiectis suis adæquatibus specificantur. Vegetativa potentia est ipse calor vitalis ac temperamentum primarium qualitatum, subdividiturque in nutritivam, augmentativam, & generativam, quæ realiter idem sunt.

31. In quolibet viuente tantum una est anima, ratione nostra multiplex: & minus nobilis à dispositionibus perfectioribus expellitur, cum homo generatur aut brutum. Anima vegetativa omnes plantarum, sensitiva & rationalis omnes corporis partes in quibus aliqua vitalis operatio vigeat, informat; Cæteræ vero ut quatuor humoris, adeps, spiritus vitalis, pili, cornua, dentes, sanguis animæ & vitæ carent.

32. Alimentum est duplex remotum; quod est substantia corruptibilis, mixta, eiusdem speciei materiæ cum alito, & proximum, quod in viuentis substantiam edere proximè aptum est. Viuentis quantitas in omnibus partibus animalis verè est continua, licet formis partialibus & inter se non continua informata sit. Spiritus vitalis duplex est, innatus qui in prima viuentium generatione efficitur, & influens qui ex corde in cætera membra perpetuò diffunditur. Potentiaz vitalis operationes sunt pulsus, respiratio, conformatio ac diffusio spirituum vitalium.

33. Vita est permanens animæ cum calido: Mors contra discessio animæ à corpore ob defectum innati caloris. Fames describitur ab Aristot. siccæ & calidi cupiditas, quæ ex defectu alimenti proximi, suetu membrorum, compressione ventriculi, sensuque huius compressionis oritur. Sitis est humili & frigidi appetitus.

34. Dividitur sensus in externum & internum; externo rectè quinque subiiciuntur species; visus, auditus, odoratus, gustus, tactus, qui dum impressas & expressas species in se recipiunt, passim, quatenus expressas efficiunt actiuz potentiaz nuncupantur. Sunt verò species sensibiles qualitates reales primæ speciei essentialiter ab obiectis, quorū virtuales imagines sunt, diuersæ, & nullo sensu externo, ut obiectum quod, perceptibiles. Sensibile aliud proprium unius sensus, aliud commune pluribus, quod modaliter solum diuersam speciem producit à specie sensibili proprij.

35. Visus in humore Chrystallino residet pro obiecto adæquato & primario habet colorē & lucem, utriusque extensionem & intensionem per species intentionales per medium propagatas percipit. Color verus ex elementorum permixtione, & lucis internæ cum opacitate contemporatione orru specie essentiali ab apparente differt, qui est varia luminis externi cum perspicuo & opaco permixtio. Lux, est actus lucentis ex se, accidentalè discrimine à lumine diuersus, quia ille proprio, hoc alieno subiecto inest.

36. Auditus subiectum est acti innatus secundo auris meatus conclusus & animatus: obiectū adæquatum est sonus, qui est qualitas ex corporum solidorum & levium percussione, & corporis medijs elisione orta, aptaque auditu percipi; quam primum produxit, species in tota

actiuitate

actiuitatis sphera vndique diffundit, quæ in locum concavum ac bene compactum impingentes sonum iterum atque iterum referunt. Realiter nonnunquam iuxta motum elisi corporis ad aliquam distantiam defertur sonus, & ex defectu causæ conferuantis, definit.

37. Odoratus in processibus mamillaribus subiectatur, odores; qui sunt qualitates ex primarum qualitatum temperie ortæ secundum prædominium calida & siccæ, medianib[us] speciebus tanquam obiectum adæquatum percipit: Gustus pro organo homogeneo lingua & palatum, pro obiecto saporem habet, qui est qualitas item ex primis prædominantibus humido. Tactus organum sunt nervi, cutis, & aliae partes moliores, ad quas per nervos spiritus animales ex cerebro deriuantur. Obiectum adæquatum sunt septem qualitatum contrarietas, quas tecens Aristot. in 2. de gener. t. 8.

38. Sensus internus cerebrum possider, unus te, officiis tamen multiplex, à quibus, sensus communis, imaginativa potentia, phantasias & memoria appellatur: Externorum sensuum sensationes, & obiecta tam praesentia, quam absentia percipit medianib[us] propriis speciebus impressis à sensationibus externorum sensuum. Estimatiuam huic sensui negatam intellectui tribuimus; medium externum non habet, internum inter externorum sensuum sensitria & cerebrum interiacet.

39. Vigilia est exercitium sensuum, somnus autem eotundem cessatio. Somnium est phantasma factum à motu simulacrorum, quæ repræsentantur dormienti quatenus dormit; nec quicquam in futurum certa divinatione ex somniis cognosci potest, nisi sint diuina; ex naturalibus tamen somniis Medicis subiuncte hominis constitutionem colligunt.

40. Anima intellectiva est actus primus hominis, substantia spiritualis, immortalis, formè informans mediante visione diuisibili, non à solo Deo, sed etiam à generante per dispositiones effecta, in multis multiplex, & diversa in diuersis perfectione individuali, à solo Deo positis completis dispositionibus creatur, eademque actione perpetuò conservatur, quamvis alia numero actione corpori vniatur, ita ut sit tota in toto, & tota in quilibet parte.

41. Anima rationalis tres suas potentias à se realiter distinctas per emanationem producit, nimirum intellectum, voluntatem, locomotivam. Intellectus & voluntas re distinctas potentias, memoria autem tantum diuersum intellectus actum constituit. Intellectum agentem probabile est realiter distingui à possibili. Species intelligibles unius cum phantasmatem tanquam instrumento producit; possibilis verò easdem recipit, & intellectiones elicere rerum singularium quam vniuersalium.

42. Obiectum intellectus vel est motum vel terminativum; illud dicitur, quod per propriam speciem intellectum ad sui perceptionem mouere solet; hoc quod aliquem intellectus actum terminat. Communissimum & terminativum obiectum intellectus, tam coniuncti cum corpore, quam separati est ens communissime acceptum. Obiectum motiuum intellectus cum corpore iuncti est tantum sensibile per se; separati verò omne id eius species ipsi à Deo infunduntur.

43. Appetitus est duplex, sensitivus & rationalis, sensitivi obiectum adæquatum est bonum & malum sensu perceptum; diuiduntur in irascibilem & concupiscibilem, ratione inter se distinctos; rationalis obiectum adæquatum est idem malum & bonum intellectu cognitum; Diuiduntur voluntatis actus potissimum in actus prosecutionis & fugæ, actus elicitos & imperatos.

*Ex Metaphysica.*

44. Metaphysica, quæ est sapientia naturalis, & inter scientias speculativas ac naturales supra, & maximè vniuersalitatem contemplatur ens, quatenus ens, & in quantum est re a ratione ab omni materia abstractum. Ipsum verò ens quæ tale, conceptum vniuocum, ac perfectè secundum rationem repræsentandi præcium, fundare non potest, potest tamen analogicum, & quidem varium pro diuersitate membrorum diuidentium quæ respicit, & ad quæ compatis-

45. Pleraque Metaphysicæ prædicta sunt analogia attributionis & proportionalitatis, ut Ens, actus, potentia, substantia, Qualitas, &c. Analogia autem attributionis significant ipsam formam ad quam terminantur habitudines aliorum, non ipsas diuersas habitudines: hinc fit ut princeps analogatum, seu formam illam, ad quam cetera attributiones habent, distin&ē concipiamus, reliqua vero quæ terminantur ad illam, confusè tantum. Ita enim analogia proportionalitatis, quia non ipsam similitudinem proportionum, seu habitudinum inter se formaliter significant, omnia æqualiter concipiimus, indistinctè tamen prout similes proportiones fundant.

46. Conceptus formalis analogorum secundum rem potest esse perfectè unus, non vero secundum rationem. Conceptus vero obiectivus, et si sit aliquo modo unus secundum rationem, non tamen potest esse perfectè unus, sicut nec perfectè præcisus à propriis inferiorum rationibus. Unitas autem quam talis conceptus habet, merito dicitur unitas confusionis, eo quod non præscindat à propriis inferiorum rationibus ac differentiis, sed eas in confuso qualiter inuoluat.

47. Ens prout significat idem quod actu existens de solo Deo prædicatur essentialiter: nominaliter vero acceptum, seu prout significat habens essentiam cum aliqua connotacione existentiae, saltem aptitudinalis, prædicatur essentialiter per se in primo modo de omnibus omnino rebus possibilibus, etiam ultimis differentiis. Idem ens in quantum est analogum attributionis essentialiter tantum prædicatur de principe analogato, Deo, in quantum autem est analogum proportionalitatis quidditatius atque essentialiter enunciatur de omnibus suis inferioribus;

48. Essentia communissimè accepta vix potest absque existentia intelligi, creata etiam sub opposto eius potest, realiter tamen ab ea separari sic distingui per nullam potentiam potest. Vniuersarum rerum existentiae etiam sunt vniuersæ & vniuersales, ab existentiis singulis, perinde atque ipsæ naturæ quibus proximè conuenient, abstractæ.

49. Tam ab Essentia existentia, quam Existentia (prout quidem hodie sumitur) modaliter à parterei differt etiata substantiarum subsistentia, scilicet ab accidentibus inherentia actualis, quarum incuria conuenit sive naturæ essentialiter, quamvis ex utraque fiat unum ens per se, per illam scilicet substantia, per hanc concretum accidentem. Subsistentia ac suppositum, sub quo comprehenditur persona differunt in modo significandi. Nam suppositura ac persona ex recepto inter veteres ac recentiores loquendi sive solis completis substantiis tribuuntur, subsistentia vero etiam incompletis. Quæ proinde rectè etiam in totalem & partialem distinguuntur.

50. Incompletam sive partialem habet anima rationalis separata & iuncta suo corpori, materia prima, partes substantia alicuius integrantes: neutram habent uniones, & materiales formæ. Ex quo sequitur primum subsistentiam totalem corporum bifariam esse diuisibilem in partes essentiales & integrantes, has quidem homogeneas, illas vero heterogeneas. Deinde sequitur Totalem subsistentiam sive suppositum habere negationem communicationis ut vocant, sive unionis qua aliij vel tanquam pars, vel tanquam forma iungatur.

Partalem vero eam non requirere, sed negationem dependentiarum  
tanquam subiecto sustentante, & supposito  
terminante.

*Ad maiorem Dei gloriam.*

*Cum facultate Superiorum.*